



X 17.

19

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
DE

**POENA TALIONIS,**  
THEOLOGICE CONSIDERATA,

ET  
**PRAECIPVE EXEMPLIS BIBLI-  
CIS ILLUSTRATA;**

QUAM  
IN REGIA FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. CAROLO,**

PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDEN-  
BURGICO, RELIQUA,

*Die IV. Octobris hujus M DCC XV. anni,*

PRAESIDE,

**IOACHIMO LANGIO,**

S. THEOL. PROF. ORDIN.

*Placide disquisitioni submitte,*

AUCTOR ET RESPONDENS

**IOANNES IVSTVS Böhmel**

Kelbra-Thuring. S. Theol. Cultor.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Litt. CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.





DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
POENAE TALIIONIS  
THEOLOGICE CONSIDERATA,  
PRAECIPVE EXEMPLIS BIBLI-  
CIS ILLUSTRATA;

IN REGIA UNIVERSITATE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI,  
DNI CAROLO,  
PRINCIPIS BORUSSIAE, MARCHIONIS BRANDEN-  
BURGICO-BELGICAE,

Die IV. Octobris aetatis M. DCC. LXV. aevi.  
PRAESIDE  
IOACHIMO LANGIO,  
S. THEOL. PROF. ORDIN.  
Poenae theologiae Professor,  
JOHANNES LUTHERUS

—————  
LUC. CRONERUS, HANNOVERAE, Aetatis Typogr.







SECTIO I.  
DE IVRIS AC POENAE TALIONIS  
NATURA ET CONSTITVTIO-  
NE.

Σύνοψις.

|   |   |
|---|---|
| <p><b>I</b>uris ac poene talionis descri-<br/>ptio §. I.<br/>Distinctio §. II.<br/>Eiusdem fundamentum in iure<br/>natura §. III.<br/>Vnde vsus eius vniuersalis §. IV.<br/>Locus eius signatus, seu theoreti-<br/>cus in scholis &amp; libris Iuris<br/>Consultorum §. V.<br/>Vigor eius in hodierna praxi §.<br/>VI.<br/>Nulli autem privato permiffa est<br/>talis; sed tantum magistratus<br/>§. VII.<br/>Quandoquidem vindicta priua-<br/>ta etiam legi natura, multo<br/>magis legi reuelata, repugnat<br/>§. VIII. IX.</p> | <p>Nec in iudicijs publicis talio ab-<br/>usu caret §. X.<br/>Habet vero locum etiam extra iu-<br/>dicia §. XI.<br/>&amp; quidem secundum articulum<br/>de Dei prouidentia §. XII.<br/>Recepta est inter leges reipubl. Lu-<br/>daicae forenses. §. XIII. XIV.<br/>Vbi circa eius sensum varia no-<br/>tanda sunt §. XV. XVI.<br/>Nec valet hic de abrogatione A-<br/>nabaptistarum exceptio ex<br/>Matth. V. §. XVII.<br/>Id quod ostenditur pluribus §.<br/>XVIII.<br/>Neque magis valet exceptio Epi-<br/>scoporum &amp; imperatorum §.<br/>XIX.</p> |
|---|---|



|  |  |
|--|--|
| Ipsam iustificari certo respe-<br>ctu talioni, sed improprie di-<br>ctam, adhuc subsunt §. XX.<br>Extendenda quoque est talio ad | remunerationem benefactorum<br>§. XXI, XXII.<br>Tandem subiicitur huius doctri-<br>nae usus §. XXIII, XXIV, XXV. |
|--|--|

## §. I.



**P**rimum omnium hic declarandum occurrit, quid per *Talionem* intelligatur. Hoc ipsa vox, seu notio eius grammatica, iam aliquo modo innuit. *Talio* enim est *talis* redditio, seu compensatio, qua in poena irroganda *tò* tale respicitur, seu, qua par pari refertur, respectu habito ad *tò* quale, seu, ad qualitatem illam, secundum quam aliquid factum fuit, aut intermissum. *Talio* igitur est mensura poenae, mensurae delicti ratione modi conveniens, secundum illud Christi: *Nolite iudicare, ne iudicemini. Quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabimini, & qua mensura metimini, ea reddetur vobis.* Matth. VII. 1. 2. Vnde mirum non est, praecipue quotidiana fere experientia in consilium adhibita, hinc profluxisse tritum illud:

*Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.*

*Item: Consilium malum consultori pessimum.*

## §. II.

Non incommode vero talio in latam & strictam distinguitur. Strictè sumpta in omni moda paritate con-



constitit; quando par pari refertur, eodem modo, iisdemque circumstantiis, loci, temporis ac instrumentorū; etsi ipsa compensationis mensura pro ratione reatus & aliorum respectuum non semper sit æqualis, sed delicto externe spectato modo minor, modo maior ac grauior. Græcis dicitur ἀποτάξις, ἀντιπεπονητός, h. e. pœna, qua quis tantundem patitur, quod commisit ipse: item ἀπεθδικασίον, accuratum, seu seuerum, iudicium κατ' ἐξοχήν. Late & improprie dicta talio est eiusmodi retributio, qua in pœna, prætermisso modo eodem, seu æquali, tantum proportio ad delictum ipsum habetur, insigni tamen inter vtrumque analogia intercedente. Vterque significatus huius loci est, præcipue tamen prior; vti deinceps exemplorum copia ostendet.

## §. III.

Quod si fundamentum talionis quaesueris; primum ad ipsum ius naturæ remittendus es. Hoc enim præscribit atque commendat iustitiam, & in iustitia iustam proportionem inter delictum ac pœnam. Quid vero esse potest conuenientius ipsa talione; vtpote quæ a conuenientia ipsum nomen suum accepit? Et, quemadmodum æquum est, vt, quod tibi vis fieri, etiam alteri feceris; ita nec iniquum est, vt in te ipsum statuatur, quod in alterum commiseris. Idem haud obscure probatur a posteriori, seu ab effectu, qui est peccatoris conuictio de male factis suis. Hæc certe vix alio pœnæ genere facilius feliciusque obtinetur, quam illo ipso, de quo dicere aggressi sumus. Nam simulac peccanti illud ipsum, quod in alium deliquit, iusta, interdum etiam pro latentioris reatus grauitate, grauiore, mensura obtingit, longe efficacius percussitur, ad suæque



culpæ agnitionem perducitur, quam, si subeunda ipsi esset pœna, cuius cum delicto nexus est remotior, nec peruersæ menti, qua peccatores laborare solent, adeo obuius. Atque ita talione efficitur, saltem non raro effici solet, vt subductis rerum calculis, non sine salutari terrore, ad ipsum Deum vindicem referatur, quod alias mens improba atque obtorpesceus ad fortuitos casus, aut, ad iniquam hominum voluntatem, relatum nihil esset curatura. *Breuisfima*, adde & efficacissima, teste Quintiliano declam. XI. *est iustitiæ vindicta, cum facinus mensura pœne est.* Et bene Gothofred. in Nouell. CXV. cap. 3 §. 13. (d) ita commentatur: *Est hoc in pœnis irrogandis, quoad eius fieri potest, seruandum, vt pœna delicto similis imponatur, quæ delinquentis animo speciem delicti maxime representet, vt per ea quisque puniatur, per quæ, vel in quibus, peccauerit.*

## §. IV.

Iam, si pœna talionis ipsum ius naturæ, & quidem, in quantum hoc, etiam post lapsum, in natura corrupta residuum est, pro fundamento agnoscit; mirum non est, eam iam ab antiquissimis inde temporibus inter omnes gentes vniuersalis fuisse vsus. Id quod vt productis in medium variis sanctionibus exemplisque comprobem, in re liquidissima, nemo expectabit. Pauca tantum, *ὡς ἐν παράδειξιν*, vel sola allegatione attigisse sufficiet. Videatur Aristoteles ethic. lib. V. c. 7. Diodorus Siculus L. XII. c. 17. Strabo Lib. XV. Sueton. c. IX. Curtius lib. V. c. 5. Seneca de ira Lib. II. c. 34. Gellius Noct. Attic. Lib. XX. cap. I. Diogenes Laertius in Solone. Quibus add. Demsterus in notis ad Rosin. Lib. V. c. 2. Lib. IX. c. 16. Speciatim verò hic notari meretur illud Poëtæ Lib. I. de arte v. 663, 664.



- - - *nec lex iniustior ulla est*  
*Quam necis artifices arte perire sua.*

## §. V.

Et hæc iuris naturæ ratio est causa, cur hanc de iure & pœna talionis materiam sibi vindicauerint Iurisperiti ac magistratus ciuiles. Videantur fragmenta XII. tabb., in quibus antiquissima sunt Græcanici & Romani iuris vestigia. Prætermittis iis, quæ de hoc argumento passim in Corpore iuris ciuilibus habentur, & doctis Gothofredi notis illustrata sunt, & alias in Ictorum libris tractata deprehenduntur, instar omnium esse possunt duæ dissertationes Academicæ Francofurtanæ Virorum Illustrum de eo ex instituto scriptæ; vna Joh. Rheti; altera Cocceii: quibuscum conferatur Grotius Lib. de Iur. bell. & pac. Lib. II. c. 20. Lib. III. c. II. Puffendorff. de Iure nat. & gent. Lib. VII. c. 3.

## §. VI.

Præterea, etiam adhuc hodie vigere ius ac pœnam talionis, satis superque constat. Sic enim blasphemo, etiam non atrocissimo, excindi solet lingua, seu aliqua saltem eius particula; vt eo patiatur instrumento, quo peccauit. Incendiarius igne comburitur vindice. Periuero amputantur digiti, olim in solennem iurisiurandi fidem erecti. Taceo huius generis plura iustitiæ documenta, in primis ea, quæ retorsionum & repressaliorum nomine eduntur. Vtinam vero in hisce perpenderetur sæpius rectiusque, *summum ius sepe summam esse iniuriam*. Quomodo olim viguerit, passim videatur in corpore Iuris Ciuilibus eiusque interpretibus, & aliis Ictorum libris. Hac enim praxi eiusque exemplis iam has paginas implere, instituti nostri ratio haud patitur.

## §. VII.



## §. VII.

Hinc autem simul liquet, cuiam permissum sit talionis exercitium. Scilicet nequaquam priuatis personis, sed publico magistratui. Quod si enim iuris huius exercitium penderet a cuiuslibet hominis arbitrio; quadrata miscerentur rotundis, sacra profanis & confusa fierent omnia, iacente magistratus auctoritate. Quid enim vulgarius est, quam quod iniuriæ fingantur, ubi sæpe vix earum reperias vestigium? Aut, ubi acceptæ sunt, quid communius nimia earum exaggeratione? vbi earum diiudicatio non ab ipsius rei, secundum circumstantias considerata, veritate, sed ab indomitorum affectuum vehementia, & a cæco agræ imaginationis, prauorum affectuum fomenti & matris, impetu pendet. Animo autem sic affecto talionis exercitium permittere, quid esset aliud, quam gladium furiosi hominis manui subministrare?

## §. VIII.

Quid? quod etiam sanæ repugnat rationi, par pari ex impetuoso priuatæ vindictæ affectu referre. Etenim qui nobis nihil tale merentibus intulit iniuriam, discessit ab officio, immo etiam non raro ab ipso statu, hominis sapientis bonæque mentis. Vnde huic se reddere retaliando similem, quid est, nisi ex stolido insanum facere, & insanientium numerum accessione sua augere? Neque læsum excusat innocentia. Quod si enim reuera est innocens, cur ergo nocet alteri, cui tamen prodesse potuit? At iste prius nocuit? Nocuerit. Quid tum? Sibi potius ipse nocuit, quam tibi, etsi id ignoret. Iam vero noxam addere prohiberis per legē sapientiæ ac virtutis: & e contrario vt nocenti prosis, eo magis adstringeris, quo



quo meliorē & a vindicta seiunctiorem viam reparationis tibi commonstrat mens bona, si eam possides, eamque ita inter bona tua numeras, vt bonum tuum sit vnicum, saltem primarium.

## §. IX.

Nec ignotum est, illorum, qui & a Iudæorum & a Christianorum sacris seiuncti & idolomania addicti fure, scripta præceptis & exemplis, talionem, seu vindictam priuatam, improbantibus, abundare. Sufficiat solum iam Senecam nominare, qui præcipue videatur *libris de Ira*. Quod autem pagani non licuit per ipsas naturæ leges: multo minus Christianis erit integrum, quippe quibus ipsa etiam *ἐχθροφιλία* tantopere est commendata, & hac ipsa iniunctum, vt malefacta bene factis compensent Matth. V. Rom. XII. 1, Petr. II. 2. 1. 2. Recte itaque iudicauit Christianus ille Cicero, Lactant. Lib. VI. cap. 18. com. 17. 22. *non minus mali esse referendum, quam inferendum*, addens, inter hominem, vindictæ cupidum, & brutum parum, immo nihil, hac in parte esse discriminis: *Si lacessas, inquit, pecudes, aut calce, aut cornu repugnant; sic & imperiti & insipientes, si quando accipiunt iniuriam, cæco & irrationabili furore ducuntur, & his, qui sibi nocent, vicem retribuere conantur*. Nullius ergo pretii sunt vulgi, indocti doctiue, prouerbia, si non per se, tamen in peruersa applicatione; nimirum illa: *par pari referre; vim vi repellere; voces, quae accipimus, reddere, vt echo; artem eludere arte &c.*

## §. X.

Neque vero hic solus est talionis abusus, qui in vindicta priuata positus est: accedit & alius, si non frequentior, at certe multo grauior; nimirum is, qui ab i-

B

plo



pfo magistratu nonnunquam committitur. Exemplum Romanorum, omnino improbandum, videas in Socrate histor. eccles. Lib. V. cap. 18. commemorante, quod Imperator Theodosius urbem ab eiusmodi supplicii genere, quo peccata adulterii augebantur, tamquam a re probrosa, liberauerit; fontesque aliis legibus coercuerit. Conf. Aelianus Var. hist. Lib. IX. c. 8. vbi non meliora de iisdem refert. Vide etiam Nouellas Constitutione LX. & ad eam notata Gothofredi (b) p. m. 396. Quas foedas aberrationes in talionis exercitio ex neglecto & obscurato ipsius luminis ac iuris naturæ vsu resultare, nemo non videt. Nec mirum est, naturam etiam hac in parte deficere, cum in nullo alio iurium atque officiorum genere semper facere soleat, quod suum est, sed multis indignissimisque modis feratur extra orbitam, præcipue indomitorum affectuum impetu excœcata quasi & in transuersum acta.

## §. XI.

Nec tamen existimandum est, talionis exercitium ita ad magistratum adstrictum esse, vt sine eo plane non fiat legitime. Hac enim ratione multa quidem, at iusto tamen infrequentiora, eius exempla haberemus: siquidem non semper vsu venire solet, vt in foris agatur ex lege talionis; præcipue strictius dictæ: potius ac sæpius sufficit bono iudici, adhibitis in consilium circumstantiis, & præcipue æquitatis lege, proportio pœnæ ac delicti; etiamsi inter vtrumque nullus intercedat analogiæ nexus. Quandoquidem vero exemplis iustæ talionis nihil fere est frequentius omni tempore & vbique locorum, necesse est, eam existere, vt sine vindicta priuata (in hac enim non est talio



lio iusta) ita etiam sine magistratus opera. Nec difficili coniectura opus hic est, vnde pendeat. Deum consideremus, vti summum, ita etiam iustissimum, ac simul sapientissimum, iudicem. Sic praesto est forum, vbi poena talionis decernatur.

## §. XII.

Non autem opus est, vt mentione de iudicio Dei facta, praetermissis iis, quæ nobis quotidie quasi ante oculos pedesue sunt, ad diem illum *παντοκρητιδου*, & omnibus peccatoribus *αμετανοητοις* tremendum, ad vltimum, puta, atque vniuersale iudicium, quod vniuerso orbi imminet, recurramus. Sufficit nunc articulus de prouidentia Dei. Nouimus enim, causas secundas arcano arctissimoque nexu subesse causæ primæ, ipsi nimirum Deo, & ita quidem subesse vt in regimine suo ab ea pendeant. Hac vero ratione multa ita fiunt, vt, per se considerata, casu fieri videantur; sed, ad concursum ac directionem Dei relata, eiusdem prouidentiam in speculo nobis exhibeant, & inprimis iustitiam Dei vindicem viuis documentis nobis ob oculos sistant.

## §. XIII.

Cum igitur, vti paullo ante demonstratum est, iuris naturæ sit talio, & ab ipsius Dei prouidentia, etiam sine concursu magistratus atque vindictæ priuatæ, pendeat; mirum non est, quod illa quoque inter leges populi Iudaici ciuiles locum suum acceperit. Nec enim a iure naturæ discedunt præceptiones diuinæ, in pandectis sacris contentæ; potius illud, vbi pro statu hominis per lapsum deprauato obscurum est, declarant; vbi ambiguum, explicant; vbi deficit, defectum sup-



plent; commonstrato insuper fonte euangelico, ex quo detur genuina iuris naturæ ac gentium instauratio, adeo, ut, quod verum rectumque est, non euidentiùs solum multoque rectius cognoscamus, sed cognitum etiam, pro donatis gratiæ viribus, præstare & velimus, & possimus.

## §. XIV.

Deprehendimus vero legem de talione expresse positam Exod. XXI. 24. seqq. *Quodsi damnum contigerit, dabis animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, uestionem pro uestione, vulnus pro vulnere, plagam pro plaga* κ. τ. λ. Idem repetitum videas Leuit. XXIV. 19. seqq. *Quodsi vir (aliquis) dederit defectum in proximo suo; quemadmodum fecit, sic fiet illi: fractura pro fractura &c.* Porro, de teste mendace & funesto Deut. XIX. 18. seqq. *Inquirent iudices probe; - - - facietis illi, quemadmodum cogitavit facere fratri suo, ut remoueas malum e medio tui: audiant autem reliqui & timeant; nec pergant facere amplius secundum rem hanc malam in medio tui. Non enim parces oculo tuus; sed anima pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede esto.* Conf. Numi. XXXV. 19. Nec est dubium, quin hanc legem Græci suam fecerint; quemadmodum a Græcis suas XII. tabb. leges acceperant Romani, qui in illis inter alia hæc habebant: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit (al. e pacto) talio esto.* Conf. Gell. Noct. attic. lib. XX. cap. 1.

## §. XV.

Quum vero hæc talionis lex videri possit iusto durior; notanda circa eam sunt sequentia. (1) Sermonem esse



esse de vindicta, non priuata quorumuis; sed publica, quæ publici magistratus auctoritate fit: vti allegata loca euidenter euincunt. (2) Intelligenda quidem ea esse ex parte aliqua secundum litteram, pro summo iustitiæ rigore, ad incutiendum terrorem; at interpretationem hanc litteralem nequaquam excludere accuratum circumstantiarum omnium, præcipue potiorum, examen: sed omnino hoc requirere, & secundum eam moderationem & *ἐπιεικειαν* admittere, immo, exigente ipso naturæ iure, postulare. Si quis enim priuatus personam publicam, in auctoritate magistratus positam, percussisset; repercussio pœna fuisset iusto lenior: iusto autem grauior, si iudex publicus, in re priuata ex affectu priuato, percussionis culpam, in hominem priuatum commissam, rigida talione luere debuisset. Iusto quoque grauior futura fuisset monoculi pœna, si etiam oculo altero ob crimen effossi oculi, in alterum perpetratum, fuisset priuandus. Nec facile fieri poterat, vt vulnus alteri inflictum eadem plane mensura secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem denuo infligeretur. Etenim poterat vulnus in hoc illoque corpore letale esse, quod in alio haud fuerat. Silentio iam innumera alia transilio incommoda, e iustæ interpretationis atque applicationis, quam talionis lex requirit, & in integra etiam *συναφεία* sua haud obscure commendat, neglectu secutura.

## §. XVI.

Præterea (3) hic notandum occurrit, locum habuisse æstimationem & redemptionem pecuniariam, quem admodum, præter Targum, Hebræi vno fere ore tradunt, nec ex ipso locorum adductorum contextu intellectus est difficile. Vide inter alia Exod. XXI. 20. seqq.



*Bos lapidabitur, etiam dominus eius occidetur: si tamen redemptio imposita fuerit, dabit redemptionem animæ suæ iuxta omne, quod impositum fuerit ipsi.* Et quid erat æstimatio, nisi mensura rei æstimatæ, quæ eius valorem metiebatur, ut vlna longitudinem, & pondus gravitatem; adeo, ut mensura & mensuratum ratione eius, quod in mensuram venit, vnum idemque esset? Vnde æstimatio loco ipsius rei est, uti sentiunt Icti. Hacque redemptione lædentem ad quintuplicem compensationem teneri, vetus Iudæorum est traditio; scilicet, ut compenset (a) *damnum* (ex amputato, aut læso, membro redundans) (b) *sessionem*, seu cessationem a labore, a damno isto adhuc distinetam. (c) *Medicinam*. (d) *Confusionem*, seu ignominiam. Nec obstant huic sensus limitationi verba stricti iuris speciem habentia: *Sicut fecit, sic fiet illi.* Leuit. XXIV, 20. Sua enim ipsis vis omnino constat, si dixerimus, sensum esse, ut damnum inferens rursus damno afficiatur: sicut Simson aiebat: *Quemadmodum fecerunt mihi; ita feci illis:* etsi factum ipsius a Philistæorum facto omnino discreparet Iudic. XV, 11.

## §. XVII.

Nec est, quod Anabaptistæ, alique in alterum extremum prolapsi, existiment, Christum in concione montana Matth. V, 38. 39. (verbis: *Audiistis, quod dictum sit: oculus pro oculo, & dentem pro dente. Ego vero dico vobis, non resistendum esse malo &c.*) legem talionis, tamquam soli politicæ iudaicæ convenientem, plane sustulisse, obluam cum doctrina euangelica pugnam. Non enim id, quod in ipso iure fundatum est, Christus, corruptæ naturæ instaurator, abrogare voluit, aut debuit. Quid? quod ipse fuerit legislator Mosaicus, seu Mo-



Mosis ministerio vsus. Qui ergo sibi ipsi contrarius esse noluit. Et cur id iuisset abrogatum, quod tantum non quotidiana experientia in providentiæ diuinæ, præcipue circa permissionem ac directionem malorum occupatæ, speculo exhibet & comprobat? Verissimum itaque est, Christum legem de pœna talionis nequaquam abrogasse, sed tantum a corruptelis Phærisæorum, qui, quod magistratus publici erat, cui libet fere priuato homini sub ineptis conditionibus tribuebant, repurgasse. *Nec enim venerat, ut illam solueret legem; sed potius, ut impleret omnem, uti ipse perhibet Matth. V, 17.* Et, quo minus legis talionis λόγῳ intenderit, inter alia etiam obstant expressa eius verba, quibus sub talionis comminatione temerarium iudicium prohibet: *ne iudicate, inquit, ne iudicemini: nam quo iudicio iudicatis, iudicabimini, & quæ mensura metimini, rependetur vobis.* Conf. ὁ πᾶν Grotius & Ligtfoot in h. l. nec non Lutherus passim in Tomis.

## §. XVIII.

Hanc ipsam talionis legem etiam in multis aliis sacrarum litterarum locis adeo declaratam stabilitamque deprehendimus, vt, durationem eius tantum temporariam, & nunc abrogatam esse, nobis in mentem venire nequeat. Præceptum illud Noachicum, seu Noacho eiusque posteris circa mundi palingenesiam, datum, de hominis sanguinari, seu interfectoris, sanguine per hominem effundendo, quid quæso aliud erat, nisi lex talionis; et si solius cædis facta mentione? Confer interminationem grauissimam, qua Caino talionem timenti tuta vitæ vsura promittebatur. Gen. IV, 14. 25. Et cum per viam talionis homines facilius ad peccatorum suorum agnitionem



nem adduci queant, ideo ea se vti, Deus passim testatur. Vide inter alia Ezech. VII, 27. *Ex via eorum agam cum illis, & secundum iudicia eorum iudicabo eos, vt cognoscant, quod ego sim Iehouah!* Ita etiam v. 3. 4. 8. *Emittam iram meam in te, & iudicabo te secundum vias tuas, daboque super te omnes abominationes tuas: non parces oculus meus tibi, neque clementia vtar.* It. cap. X. 10. *Me quod attinet, non parces oculus meus, nec clementia vtar, sed viam eorum in caput eorum dabo.* Porro Obad. v. 15. *Quemadmodum fecisti, sic fiet tibi, retributio tua redibit super caput tuum.* Psalmos etiam Davidis eadem identidem inculcare, notius est, quam vt in medium proferri debeat. In aprico igitur est, hanc de talione materiam vnā fuisse e præcipuis in doctrina Hebræorum morali; quemadmodum inter alia liquet ex illis Siracidis prouerbis: *Qui iacit lapidem in altum, super caput suum iacit, & plaga dolosa diducet vulnera: qui fodit foueam, in illam incidet: & qui collocat laqueum, in eo capietur: qui facit mala, in ipsum deuoluentur, & non sciet, vnde veniat sibi.* Sir. XXVII, 28. 29. Quo cum & egregium illud axioma conuenit Sap. XI, 16. (al. 17.) *Δι' ἐν τῷ ἀπάγεται, διὰ τῶν νόδ' ἑταί i. e. Per que quis peccat, per eadem cruciatur.* Quid? quod ipsum *Seruatorem* iuris talionis interpretem ac vindicem habeamus in illo ipso temporis articulo, quo *παθήματα* sua pro nobis subit. Ita namque ille, Petrum percussorem reprehendens: *absconde tuum gladium in locum suum: omnes enim accipientes gladium, per gladium peribunt.* Matth. XXVI, 25. Huc non minus pertinet illud Apocal. XIII, 10. *Si quis in captiuitatem congregat, in captiuitatem abibit; si quis ἐν μαχαίρα occidit, oportet eum ἐν μαχαίρα occidi.* coll. cap. XVIII, 6. vbi diuinum illud *κέρυσμα*,  
olim



olim de Babylone Jerem. L. 15. vsurpatum: *sicuri fecit, facite ei, aduer-*  
*Babylonem mysticam proclamatur:*  
*Reddite illi, quemadmodum ei fecit, et duplicite ei*  
*dupla iuxta opera eius: poculo, quo miscuit, miscete illi du-*  
*plum.*

## §. XIX.

Nec quidquam hic valet Epicureorum hominum exceptio, plurimos peccatores impune abire. Quid enim tum, si vel maxime in hac vita abeant? Sic enim *διανοησις* dies habebit, quod rependat abunde. Et cum sacrae paginae innumeris fere locis inculcent, omnem transgressionem *ἕνδικον μισθὸν ἰσχυροῦς*, *istam mercedis retributionem*, habituram esse; satis hoc erit talionis, poenae grauitate vindictae tarditatem compensante. Nec est dubium, quin poena ista certam etiam proportionem & analogiam ad delictorum modum sit habitura. Quis enim dubitaret, homines voluptuosos intensissimorum dolorum, ambiciosos & fastuosos ignominiae, avarosque extremae indigentiae sensu, praecipue excruciatum iri? Hoc docet effatum ipsius Saluatoris nostri in historia de diuite helluone ad tartara detruso; utpote affirmantis, ipsum lingua ac gula, quibus potissimum peccauerat, pro talionis iure maxime fuisse cruciatum. Luc. XVI. 19. seqq. Nec mora talionis quaeuis perpetua est in hac vita, ita, ut illa finem non attingat, nisi cum ipso vitae fine: quemadmodum peruersa Epicureorum hominum turba opinari solet. Isti enim, quando aliquo temporis tractu florere vident facinorosos, iudicant ex praecipiti, sublatam esse arbitrati poenam. Sed sane, etiam in hac vita quod differtur, non aufertur. Expectandum itaque est, atque

insup

C

viden-



videndum, quid vecturus sit ferus vita, nec per, immo vel ipse eius merities. Quis sit, talibus deprehendit exempla innumera, nec raro illic, ubi alius ea ne quassiverit quidem. Quotus enim quisque sceleratus, ipsum suum, quo quam maxime inclauit, scelus non accipit pedissequum quasi? Quid in vita communi est frequentius, quam homines fastu tumidos & aliorum contemptores tandem summo premi contemptu? Conf. Luc. 18. 14. quam avaros iniustosque tandem non egere solum, sed etiam aliorum rapacium ac violentorum pradam fieri? Quid communius, quam molles ac luxuria diffuentes duriter tractari & exquisitissimis dolorum subici tormentis? Contrariorum enim sensum etiam ad talionem pertinere, res ipsa indicat. Superfedeo reliquas talionis species hic recensere; cum experientia, viua ac docta huius rei magistra existat.

## §. XX.

Minime vero prætermittendum hic est, ipsos etiam iustificatos certo respectu modoque interdum talionem subire. Absit, ut hoc de extremo iudicio intellectum velim. Etenim, qui credunt in filium Dei, haud veniunt in hoc iudicium; sed, iam dudum absoluti, tunc immunitatis ac libertatis suæ iura ac beneficia publice & quam solennissime declarari, audiunt. Neque existimandum est, in hac vita omnes Deo, ipsa etiam applicatione, reconciliatos talionem experiri. Non enim cuncti ante sui conversionem in eodem deprehenduntur statu. Ut de iis, qui inde a fœdere suo baptismali in gratiæ statu perseverant, nihil dicam; utpote quos hic esse immunes, facile liquet. De quibusdam tantummodo sermo est. De iis nimirum, qui, antequam



quam peccati iugo per Dei gratiam se subducerent, grauioribus scandalis reatum contraxerunt. Neque de omnibus huius generis; sed inter hos de iis tantum, quibus præ aliis in ipso etiam gratiæ statu acriori aliquo disciplinae laxiuitate oportet esse, Deus, prudentissimus animarum medicus, nouit. Sed caue, existimes, hos talionem subire proprie dictam, & pœnæ nomine ac loco. Paterna potius est castigatio, quam pœna: analogon potius aliquid talionis, quam talio ipsa.

## §. XXI.

Hæc hæctenus de talione; tamquam pœna. Obferuandum nunc probe est, illam vtique etiam ad benefactorum compensationem extendendam esse, præcipue secundum stilum biblicum. Notior quidem, si non nobilior, ille huius vocis est significatus, quo ad pœnam respicitur: & de hoc ipsa plura dicta & longe frequentiora exempla in ipsis sacris litterisprehendimus. Vnde ab hac notione, tamquam potiore, ipsæ huius differtationis denominatio, seu inscriptio, facta est. Sed haud negligenda tamen est altera hæc talionis consideratio, secundum quam beneuolenti & beneficienti beneuolentia obtingit & beneficentia. Ipsum jus naturæ in naturali æquitate fundatum hoc dicitur. Et, vti pœna, respectu Dei, pro fundamento habet eius iustitiam; sic remuneratio eiusdem misericordiam. Quam misericordiæ vocem dum notamus, simul intelligimus, procul abesse hinc debere omnem meritorum proprie dictorum respectum. Deum vero benefactorum remunerationem promississe, & quidem amplissimam quam amplissime, nouit, qui vel a limine pandectas sacras salutauit.



collectione multus esse. Sufficiat vultus, qui instar summum esse potest, estatum videlicet Christi Luc. VI. 37. 38. Ne iudicatis, & non iudicabimini: ne condemnatis, & non condemnabimini: remittite, & remittetur vobis: date & dabitur vobis. benedixit bonam, preciam & agitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum: qua enim mensura metimini, rependetur vobis. Conf. 2 Cor. V. 10. Matth. V. 7. beati misericordis: nam ipsi misericordiam adipiscuntur. Contrarium vide Iacob. II. 13. vtrumque vero in illo Pauli: uti sementem feceris; ita metes *κ. τ. λ.* Gal. V. 7. seqq.

## §. XXII.

Quemadmodum vero in talione poena omnis non demum infligitur extremo iudicio, sic nec retributio mercedis eo vsque suspenditur, sed non minus hæc in antecessum etiam suo modo exercetur, quam illa. Et hæc est causa, cur Deus, supremus magistratus noster, vniuerso magistratui inferiori non solum vindictam, sed etiam benefactorum compensationem, a Paulo laudis nomine (quem enim Deus laudat, hunc & gratiæ præmiis afficit, in eo imitandus) intellectam iniunxit. Vid. Rom. XIII. 3. Et hoc talionis genus etiam extra iudicia præcipue vigere, quotidiana docet experientia; & quidem eo luculentius, quo rectius illa e diuinæ providentiæ fonte fuerit deriuata, seu secundum illum considerata. Beneficentiæ certe genus nullum est, quod non ad auctorem suum redeat suo tempore; nullus eius modus, quem non reddat *μισθαποδοσια*. Et, uti male facta sæpe sunt sementis, vnde malorum messem habent posteri, maiorum suorum vestigia prementes: ita haud raro beneficium parentum collocatur ita, ut fructum suum lar-



hærgo cum sœnore, etiam apud filios & nepotes haud degeneres ferat. Præterea notanda hic est magna differentia inter pœnam & præmium ex talione redundans: inprimis cum illa ad huius talionis partis, quæ in remuneratione posita est, commendationem faciat. Hæc scilicet talio respectu pœnæ prohibita est priuatis; sed respectu præmii iis maximopere est commendata. Unde etiam in praxi existere debebat longe frequentissima. Verum enim vero quia vitia vbique sunt in naturali solo, virtutes vero in peregrino; seges illorum harum prouentu multo est vberior.

## §. XXIII.

Restat, vt de fine atque vsu huius doctrinæ adhuc nonnulla subiungamus. Is vero varius omnino est pro fecunditate huius rei. Et primum quidem *didascalico* - elencticus illustrans Dei attributa duo, ex parte vna *iustitiam*; ex altera *miseriordiam*; nec non eorum speculum amplissimum, prouidentiam Dei, adeo, vt inde etiam athei de stultitia sua, si vellent, possent conuinci. Hinc etiam nullo negotio deriuaueris usum aliquem *hermeneuticum* in lectione Scripturæ sacræ; scilicet vt, talionis iure probe notato, eo sis oculator in obseruandis eius documentis manifestis, & vestigiis latentioribus, passim obuiis. Nec minor est vtilitas ea, quam sedula talionis meditatio ad *epanorthosin* præstat. Terrere enim potest præfactos peccatores, ne quid suo fuaui capiti, si videant, se fortunæ flux, aut potius exitii sui, ipsos esse fabros; & sibi aliquando, quod intruerint, exedendum esse.

## §. XXIV.

Quæ cum ita sint, etiam ad *paediam*, seu institutionem vitæ



vitaē sanctioris, hinc redundare potest vsus: scilicet, ne vnquam animum inducamus aliis facere, quod nobis ipsis fieri nolumus: e contrario autem, ut consideratione talionis, quasi calcari subdito, nos sinamus excitari & inflammari ad bene merendum, pro viribus nostris, de omnibus, etiam ipsis inimicis nostris, non immemores, certissime futurum, vt largissimam benefactorum messem accipiamus; non quidem vilo ex merito, proprie sic dicto; sed tamen in hoc ἀγαθοποιίας ordine, quem Deus a proposita remuneratione largissima tantopere commendauit.

## XXV.

Atque ita facile constat, habere etiam talionis meditationem, quod piorum & afflictorum solatia augere possit. Absit quidem per omnem modum, vt illi de impiorum exitio latentur, aut de damnis inimicorum suorum sibi gratulentur. Longe enim alia & melior ipsis mens est. At, quemadmodum ex vna parte omnino absunt, saltem abesse debent, ab omni ἐπιχαλεπήκεια; sic tamen ex altera non possunt non in fide ac spe confirmari, quando in diuinis talionis iudiciis, quæ tot documentis & exemplisque demonstrata vident, erectam & potentem Dei manum deprehendunt. Hac ratione, quod sceleratis, ἀμετανοήτως talibus, cedit terrori, ipsis est solatio; quandoquidem animaduertunt, quantum intersit inter illos, qui Deum timent, & eos, qui ipsum factis, nisi ore ipso, abnegarunt. Mal. IV. 16. seqq. Merito igitur suum faciunt illud Davidis, e consideratione talionis se erigentis: *re-cordor iudiciorum tuorum a seculo, & consolationem hinc accipio.* Psalm. CXIX. 52. Et in afflictionibus constituti iden-



identidem recolunt illud Paullinum: *persecutiones & afflictiones vestrae, quas toleratis, sunt demonstratio iusti iudicii Dei, ut digni habeamini vos regno Dei, pro quo etiam patimini: siquidem iustum est apud Deum, RETRIBVERE AFFLIGENTIBVS VOS AFFLICTIIONEM; AT VOBIS, QVI AFFLIGIMINI, RECREATIONEM NOBISCVM*, in reuelatione Domini Jesu de caelo cum angelis potentiae ipsius.

## SECTIO II.

DOCTRINAM DE ΤΑΤΤΟΠΑΘΕΙΑ, SEV TALLIONE, EXEMPLIS PRAECIPVE BIBLICIS, PER CERTOS APHORISMOS DIGESTIS, ILLUSTRANS.

### APHORISMVS I.

*Pœna respondet crimini sæpe eodem genere ac modo.*

#### EXEMPLA.

**F**ratres Iosephi, quia summo mœnore affecerant Iosephum, rursus in summas angustias coniecti sunt, agnita talionis pœna Genes. XLII seqq.

Rex Aegypti, Pharao, ministris Aegyptiis, Hebraeorum infantes aqua submergendos curauerat. Exod. I. vnde cum suis rursus submersionis pœnam in mari rubro expertus est Exod. XIV. Et cum aquae fuissent funestae infantibus illis, deinceps in sanguinem vertuntur c. VII. Quid? quod caedi infantum caedes primogenitorum responderit. c. XII.

Adoni-



*Adonibefek*, rex Cananæorum, LXX regibus pollices, seu summitates manuum pedumque, amputauerat. Et ecce eandem plane pœnam manibus pedibusque subiit, ideo talionis iustitiam ingenue confessus. *Vi ego feci, sic mihi retribuit Deus* Jud. I. 5. sequ.

*Abimelech* Jud. IX. 24, 56, 57. *Agag* 1 Sam. XV. 32. 33. *Sebah* & *Zalmunah* Jud. 18. 19. singuli per pœnam talionis perierunt.

Præcipue autem hic notari meretur exemplum *Agag*; utpote in quo ius amœbæum rhythmo expressit Spiritus Sanctus:

כאשר שכלה נשים חרבך

Caescher schicla nashim charbécha

כן תשכל מנשׁים אמך

Cen tischcal minnashim immécha

Lutherus: *Wie dein Schwert Weiber ihrer Kinder beraubet hat, so soll auch deine Mutter ihrer Kinder beraubet werden unter den Weibern.* Conf. Exod. XXII. 24.

*Edomite* hostili animo exceperant Israelitas vicinos: pari modo ipsos a Deo vindice tractatum iri, grauissima habet comminatio Ezech. XXXV. tot. præcipue v. II.

*David* eadem *Vriæ* cæde domestica, & adulterium incestu *Abfalonis* & *Ammonis* luere cogitur 2 Sam. XII. 9. sequ. XIII. 1. sequ. XVI. 22.

*Athalia*, sanguinolenta femina, omnem *Salomonæam* propaginem occidit, excepto *Ioaso* 1 R. g. XI. 1. sed pariter occiditur v. 15.

*Joas* rex Israel, *Zachariam* filium *Joiadæ* sacerdotis, qui eum e truculentissimis *Athaliæ* faucibus eripue-



puerat, interficit, 2 Chron. XXIV. 21. 22. & eundem rursus occisum legas 2 Reg. XII. 20.

*Ioramus* vti omnes fratres suos sustulerat, ita etiam filii eius, excepto minimo, gladio trucidati sunt, & pater ipse miserrime rursus perit 2 Chron. XXI. 1. coll. 16. 18.

*Hofes* Danielis, qui illi funestis suis accusationibus fanestam foueam parauerant, in eandem præcipitati a leonibus deuorantur Dan. VI. 24.

Ex historia posteriorum temporum Iudaica huc pertinet exemplum talionis in *Jafone* 2 Macc. IV. V.

*Antiocho* cap. XI. 1. conf. 1 Macc. VI. 12. 13. *Menciao* 2 Macc. XIII. & aliis pluribus.

Optime Deus de rege *Assyria* per *Iesaiam* c. XXXIII. 1. *Va tibi, qui vastas, cum tu non sis vastatus* (Luth. *Meinest du, du werdest nicht versthret werden?*) & *tibi perfide, cum non egerint perfide tecum* (Meinest du, man werde dich nicht verachten?) *Cum desieris vastare, vastaberis, cum cessaueris perfide agere, perfide agent tecum.* Wenn du das Versthren vollendet hast, so wirst du auch versthret werden: wenn du des Verachtens ein Ende gemacht hast, so wird man dich auch verachten.

Ex historia profana huc inter exempla plane innumera præcipue referas poenam amœbæam imperatorum permultorum, non tantum gentilium; sed etiam nominetenus Christianorum. Ex illorum quidem numero præcipue huc pertinent illi, qui Christianos diuersis modis diuexauerant, sed mox talionis poenam experti, vt *Nero*, *Domitianus*, *Decius*, alii: de quibus videatur *Lactantius* libro de morte persecutorum.

D

rum



rum vero classe isti præcipue in Oriente, qui, cum alios, naso truncatos, imperatoria sede deturbassent, ipsi etiam naso mutilati eadem deiectioni sunt: quemadmodum non sine horrore hæc talionis iusta exempla in istorum temporum historia commemorata leguntur: vti & postea, vsque ad nostra tempora, ita vt talionis exemplis nihi fere sit communis. Certe fata *Mauritii*, ad cædem suorum subinde exclamantis: *Iustus es Dominus, & iusta sunt iudicia tua!* terrere possunt unumquemque.

Recte itaque Rhadamantus in Senecæ *Hercule furente* act. 3. *Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus repetit, suoque premitur exemplo nocens.* vid. *Valer. Maxim. Libr. VIII. c. 6. Camerar. Hor. subces. Centur. I. c. XCVIII. seqq. nec non Richter. Axiom. 28. Oecon. & Axiomat. Eccles. n. 7. vbi magna exemplorum de iure a-mœbæo copia.*

## APHORISMVS II.

*Peccatum aliud aliis fit pœna, seu  
peccatum peccato puni-  
tur.*

## EXEMPLA.

*Punitur scortatio scortatione.* Vxor cuiusdam *Leuitæ* scortata in scortatione periit. *Jud. XIX. 25, 26. 30.*

*Obduratio obduracione* in Pharaone. Hic enim cum callum animo obduceret, a Deo iusto sprete gratiæ vindice duritiæ punitur *Exod. IV, 21. Exod. VII, 14, 22. VIII, 15, 19, coll. Rom, I, 23, 24, 26, 28. Prou, I, 24, 28.*

*Con-*



*Contemptus contemptu.* Deum eiusque verbum contemnentes contemnuntur i Sam, II, 30. Mal. II, 9. coll. XLVIII, 26, 27. Ezech. XVI, 59. Ier. XXVIII, 10, 13. Luc. IX, 26. Judæi, verbi diuini ab Apostolis prædicati contemptores spernuntur quoque, vt discendant ex ipsorum regionibus Apostoli, ad gentes migraturi Act. XIII, 46. XVIII, 6. Quid? quod Deus ipsis pro verissimo suo verbo misit *ἐνεργειαν πλάνης*, qua credant mendacio 2 Theff. II, 11. & seducentes seducantur 2 Tim. III, 13.

*Furtum furto.* Michas, idololatriæ patronus foedissimus, ex auro matri erepto idolum fabricat: sed fabricatum Danitæ auferunt. Jud. XVII.

Aegyptii Israelitarum res sibi vindicauerant, quæ ideo ab Israelitis Aegyptum relinquentibus auferuntur Exod. XI, 2. Ceterum quidquid honorum furto ablatorum & alias iniuste partorum fures non eripiunt, miles aut flamma consumere solent, adeo ut verissimum sit tritum illud:

*De male questis non gaudet tertius heres.*

*Immiseriçordia eodem duri animi affectu.* Secundum illud Jacobi II, 13. *Κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος:* coll. Matth. XVIII, 34, 35. Joiakim pauperes haud curans rursus non curatur, sed vt asinus sepelitur Ier. XXII, 18, 19.

*Immiseriçordia diuitem heluonem excepit:* vtpote qui, cum erga Lazarum fuisset immiseriçors, ideo nec dignus iudicatur a Deo miseriçordia, per Abrahamum obtinenda Luc. XVI.

Nolo nunc ire per reliqua vitiorum genera, eorumque pœnas, talione acceptas, recensere. Sufficit hic



tristis experientia; utpote quæ abunde comprobatur illud Pauli de talione hac effatum: *πάσα παράρη ἔλαβεν* (accepit & adhuc accipit) *ἕνδικον μισθὰ ποδοσίου*. Hebr. II. 2. In vulgus notum est exemplum illud patris cuiusdam, qui cum ad limen vsque a filio suo capillis esset raptus, sensu talionis percitus clamavit: *Hic, fili, desine. Nam huc vsque, non ulterius, raptaui patrem meum.*

## APHORISMVS III.

*Etiam sub modi diuersitate talio ad pœnam, delicto, seu eius effectui, similem tendit & peruenit.*

## EXEMPLA.

*Filia Herodis, matri similis, saltando efficit, ut Iohanni caput abscindatur Matth. XIV, 1. seqq. Eadem haud multo post glacie rupta ita periisse traditur, ut, corpore in fundum demerso, abscissum caput supra glaciem relinqueret, & sic libidinosam funestamque efflaret animam Niceph. Call. L. I. c. 20. Cedrenus p. 152.*

*Herodes Agrippa Iacobum minorem, fratrem Iohannis, gladio percutiendum curat: sed idem paullo post ab angelo Domini percussus ipsorum vermium fit esca Act. XII, 2, 23.*

*Magnam exemplorum huius generis copiam historia suppeditat ecclesiastica & civilis. Quæ cum factis obuia sint, eorum collectione hic supersedeo. Idem etiam adhuc hodie confirmat experientia.*

APHO.



## APHORISMVS IV.

*Non raro ipsum etiam obiectum & creatura, in quam peccatum commissum est, seu, qua peccator abusus fuit, in ipsius pœnam quasi armatur.*

## E X E M P L A.

*Cainus terram inquinauerat Abelis sanguine: quæ quasi os suum ad hauriendum sanguinem aperuerat; unde etiam per terram punitur. Nam in terra erat vergus, nec illa perrexit dare prouentum suum, vt antea. Sic, vt B. GERHARDVS commentatur in h. l. terra hoc loco constituitur iudex vindexque fratricidii: Polluisti terram sanguine, ergo per terram punieris sterilitate: exseruisti robur tuum, eoque abusus es contra fratrem: ergo terra denegabit tibi robur suum.*

*Abisalom luxum comæ, seu fastum e coma natum, comæ suspendio luit. 2 Sam. XIV. 26. c. XVIII. 9.*

*Israëliæ verbum Dei susque deque habentes, dicendo: קו לקו קו לקו זער ש זער ש, præceptum ad præceptum, regula ad regulam; parum hic, parum illic; postea contemnebantur rursus, vt nequidem verbum, quod in nauseam illis abierat, audire possent: Jes. XXVIII, 10, 13. Amos VIII, 11-13. Jes. LI. 19. LXV, 13. Thren. IV. 4.*

*Bestiarum cultum, bestiarum dentibus fuisse vindicatum, auctor libri sapientiæ testatur c. XI. v. 16. 17.*

*Israëliæ sæpe Deum ad iram prouocauerant per*



ethnicos in auxilium vocatos. Vnde iisdem sæpissime castigabantur, vti passim tradunt rerum Judaicarum annales sacri. Et cum iisdem tandem etiam Romanorum mores imitarentur, foedusque cum ipsis iniissent, ab illis ipsis sub iugum missi sunt. Sic prudentiores historici animaduertunt, nationem aliam ab alia, cuius mores suscipit profane, sæpe subiugari. Et certe parum absuit, quin Galli Germaniam sibi subiecissent saltem modo hanc, modo illam eius partem castigarunt, postquam Germani Gallorum vanitates ritusque & trans-Rhenana vitia, virtutibus eorum neglectis, vana mente imitati sunt.

*Filius*, isque perditissimus, extorquet hæreditatem patri, & ecce ipsi data hæreditas in maximam cedit perniciem. Luc. XV. 12-14.

*Templum ac castellum*, quibus se iactabant Judæi, solo æquata simul iactatoribus suis perniciem adferunt. Jer. VII. 4. Jes. XXV. 2-10. Ezech. XXVII. 33, 34.

Quantopere & quam sæpe creatura, sub vanitatis iugo pressa & gemens Rom. VIII. 19. 20. 22. se quasi armet contra hominem, inter alia e solius cibi ac potus abusu satis superque liquet: siquidem nimium in vitium, immo in perniciem, vertitur, adeo vt verissimum sit tritum illud:

*Sir angulat in mensis plures gula, quam necat ensis.*

'APHO.



## APHORISMVS V.

*Sæpe etiam circumstantia loci ac  
temporis talionem reddit notabi-  
lem.*

## EXEMPLA.

*Israëlis*, exploratione terræ Canaan, XL dierum spatio facta, ab usis, pœna oberrationis in XL annos extendenda dictatur, ita ut numerus annorum dierum numero responderet. Num. XIV, 34.

Eodem loco, quo *Achabus* Nabothi sanguinem effuderat, secundum vaticiniū prophetæ canes eius eruorem lingunt. 1 Reg. XXI, 19, 24. coll. 1 Reg. XXII, 38, 39. Idem iudicium etiam *Iesabelem* ferit. 2 Reg. IX, 33, 35, 36.

Coram eo ipso altari, ubi suffiando euagatur *Visia*, lepra afficitur. 2 Chron. XXVI, 19. et cur in fronte, non autem in alio loco? respondet Chrysostomus Tom. VI. Hom. 16. de superbia: *ibi*, inquit, pœna, ubi impudentia, ut tamquam in columna litteræ essent positæ, & veluti lex in sublimi loco, quæ diceret: *Ne feceris talia, ne taha patiaris.*

*Andronicus* sacrilegus eo ipso in loco, vbi eadem *Oniæ* patrauerat, ab Antiocho vita privatur. 2 Macc. IV, 38. Et ne quis existimaret, id casu fortuito factum esse, recte additur: τὸ κυρίως τὴν ἀξίαν αὐτῶν κολαστὴν ἀποδοῦναι, Deo dignum ipsi cruciatum reddente. Luth: also hat ihn Gott nach seinem Verdienst wieder gestraft.

*Ioannis Hircani* filius, *Aristobulus*, interemerat fratrem



trem Antigonum. Quæ talio? Tantos conscientia cruciatus perlentiscit, vt iuberet in illum se duci locum, vbi perfoſſus frater fuera. Quo cum peruenit, ſanguinem euomit, ibique concidit. Ioseph. Bell. Iud. L. XIII. c. 18.

*Herodes Agrippa* eodem in loco, vbi habitu regio vestitus diuinos honores affectabat, percussus ab angelo se mortalium infelicissimum esse, expertus est. Act. XII. 2, 21, 22, 23.

*Henricus III Galliarum* rex eodem in conclavi, eodemque mense, quo ante annos XVII consultationi de funestis nuptiis Parisiensibus interfuerat, interficitur, & quidem a monacho aliquo sicario: quod hominum genus ille antea deperierat. Taceo exempla parallela, quibus annales regnorum fere omnium abundant.

## APHORISMVS VI.

*Non raro eodem etiam instrumento membroque, quibus commissum est crimen, illud luitur. Conf. Sap.*

*XI. 17.*

## EXEMPLA.

*Proditores ac interfectores Iſoſethi*, manibus pedibusque, quibus potissimum abusi in Iſoſethum deliquerant, amputatis, in omniū conspectu suspenduntur. 2 Sam. IV.

*David* oculis suis, in lasciuus intuenda Bathſeba ita abusus, vt quasi mors per eos spiritualis intraret, deinde hanc, & eius causam, adulterium, iisdem, seu calidissimis lacrymis ideo profusus, deslere cogitur. 2 Sam. XI. Psalm. VI.

*Nica.*



*Nicanoris* lingua, qua maledixerat, excinditur, brachiumque eius, quod contra dominum extenderat, mutilatur. 2 Macc. XV, 35. coll. 1 Macc. VII, 47.

*Helionis* lingua cur tantis vexatur torreturque cruciatibus, ut desideret, vna tantum modo guttula aquæ illam refrigerari? Certe ideo, quod lingua maxime deliquerat. Luc. XVI, 24.

*Judæi* Christum in horto ceperant per milites Romanos: per eosdem illi postea capti, cæsi que, partim etiam in miserimum exilium eiectioni sunt. Et in oliueto, ubi Christus lacrymas Judæorum causa profuderat, Romani præcipue habuere castra.

*Papugit hoc talionis genus* (verba sunt Dannhaueri Hodosoph. p. 702.) conscientiam Rudolphi, quem, cum in prælio contra Henricum dextram amisisset, decumbenti allatam, exclamasse accepimus e Naucleo Gen. N. T. 38. Ecce hæc est manus, qua Domino meo Henrico fidem sacramento firmaui. Memorabile supplicium est, (idem pergit) quo Heraclii imperatoris τὸ ἀδελφικὸν ἰδεῖν ἠβουλεῖτο ἢ δύναιτο, ut loquitur Niceph. Constantin. Patr. ad annum 633 (iunxerat autem sibi incestuoso matrimonio Martinam sororis filiam) ita namque distortam corporis partem, qua peccarat, contraxit, ut, quoties meieret, in ora atque oculos suos urinam emitteret: cui malo ut mederetur, asserem ventriculo imponere consuevit. Vnde recte Augustinus in Psalm. VII. *Que fuerunt delectamenta homini peccanti, sunt instrumenta Domino punienti.*



## APHORISMVS VII.

*Etiam in analogia delicti & pœnæ  
quædam talionis species  
est.*

## E X E M P L A.

*Sodomite & Gomorrhæi, qui nefandarum libidinum  
flammis & æstu exarserant, flammis vtricibus puniuntur.  
Gen. XIX. Deus (verba sunt Pelargi in h. l.) effusa flam-  
manti pluuia detet & abluit fœdas libidinum sedes: vique in  
ipsa vltionis qualitate notaret crimen, maculam, non ignem  
modo, ut ignis quoque fomentum, fœtorem grauissimum exha-  
lans, fundit. Eadem talionis pœna excepit alias amplas  
ciuitates, etsi diuerso modo. Certe Carthago, Hie-  
rosolyma, Constantinopolis, aliæque eadem fata exper-  
tæ vrbes, quid in cineribus suis aliud quasi confessæ sunt,  
quam iustissimam talionis pœnam?*

*Nabal pro stultitia sua, quam, ipsa etiam eius con-  
iuge interprete, ipso nomine exprimebat, duriter exci-  
pit decem Dauidis feruos. Idem per pœnam talionis  
post decem dies etiam physice plane obrigescit, sic ani-  
mam efflans. 1 Sam. XXV. Ita physice quasi in truncum  
mutabatur, qui moraliter vt truncus vixerat. Petr. Mar-  
tyrin h. l.*

*Salomo cor suum quasi diuiserat in cultu veri Dei &  
idolorum: ideoque regni sui diuisionem, in Rehabea-  
mo filio subsecutam, sibi suisque attraxit. 1 Reg. XI,  
9-11.*

*Nebucadnezar e sublimi arcem suam contempla-  
tus*



tus superba voce peccat in Deum. Vnde hic e sublimi cœlo, quasi per tonitrua, ipsi depressionem & humiliationem denuntiat. Dan. IV, 27. Iustum enim est, vt, qui se ipsum exaltat, humilietur. Luc. XVIII, 14.

*Fili Aaronis offerunt Deo ignem alienum, ideoque igne enecantur* Leu. X, 1, 2.

*Corah cum complicibus os suum indignis modis aperit contra Mosen, Aaronem, ipsumque Deum. Vnde terra, istius sceleris vindex, suum quasi os aperire iussa, istos hiatus absorbet.* Num. XV.

*Israëliæ iure puniti sunt per serpentes ignitos (liceat ita loqui cum Celeb. D. Maio Oeconom. iudic. Diuin. Tom. I. c. 25. §. 4. p. 496.) quia linguis suis venenatis tanquam serpentes insurrexerunt contra Mosen & Deum ipsum - - Iusta - vindicta erat, vt venena sentirent, qui calumnias expuerant. Eisdem de siti & aque penuria conquerentes punit Deus nouo sitis ardore (quem serpentes immittebant) vt, per quod peccarunt, per id affligerentur & morti iraderentur.* Num. XXI, 4. seqq.

*Achan perturbauerat Israëlm, auferens deuotum, & ecce perturbatur rursus* Ios. VII, 25.

*Eli pertinaces filiorum ceruices haud frangens, seu sub disciplinæ iugum mittens, de sella ipse ipse fractæ ceruicis poenam luit.* I Sam. IV, 18.

*Simson, ius talionis, tanquam vindex, in Philistæos exercens, ipse illud subiit, adeo vt infidiis sceminæ, in quam oculos parum caute defixerat, succumbens oculis priuaretur.* Jud. XIV. 1. seqq. XV, 11. XVI 21.

*Pueri conuiciis lacerantes Elisam ab vrsis tursus lacerantur* 2 Reg. II, 23, 24. coll. IX, 12.

*Menelaus, qui aduersus altare ad Dei ignem cinerem-*



que deliquerat, super cinere interficitur 2 Macc. XIII. 5-8. Vbi additur epirifis: *πάλιν δικαίως, omnino iuste.* Luth. Und es geschah ihm recht.

Magus ille *Bariehu* cur cæcitate plectitur? ideo, quod cæcos reddiderat homines magia sua. Act. XIII. 8-11.

*Judei*, qui Christum triginta siclis, per manum Judæ proditoris, quasi emtum sibi ipsique morti reddiderant obnoxium, singuli vno venduntur siclo, triginta Judæis istud pretium, quo Christum emerant, æquantibus. Joseph. Bell. Jud. L. VI. c. 12.

## APHORISMVS VIII.

*Etiam in contrariis, seu pœna delicto contraria, se talio analogice exserit.*

## E X E M P L A.

*Nebucadnezar* ob stupendam animi elationem fastumque, dignitate, ipsaque humanitate, *deiectus* reperit est coactus, qui prius sub auratis tectis habitabat, postea debuit manere sub loue frigido: qui prius inter tot satrapas, iam inter ceruos & lupos, inter apros & vrsos, inter leones & dracones, versabatur. Stengelius Part. II. Mund. Theor. c. LVI. p. 249.

Filius degener, postquam in omni rerum abundantia *δωράτως* vixerat, non nisi ad incitas reductus respiscit. Luc. XV.

Hoc talionis genus suo modo subeundum est omnibus peccatoribus in ordine pœnitentiæ, ita vt quo quis sibi ipsi in statu suo corrupto visus est quasi ditior sapientia;



tia, prudentia ac virtutibus, voluntatem totamque vitam ornantibus, eo amarior ipsi fit sensus paupertatis suæ spiritualis. Sic pro quis magis indulget voluptatibus, eo acerbior fit dolor, qui inde in vera animi mutatione existit. Et quid hominem ambitione tumidum magis & iustius deprimere potest, quam sensus miseræ ac indignitatis suæ summæ? Vnde recte Iacobus c. III, 9. *Miseros vos agnoscite, plangite & flete: risus vester in planctum convertatur, & gaudium vestrum in marorem.* Habet itaque pœnitentia egregium & sanctissimum talionis exercitium.

Et quid tandem illa vltima rerum omnium linea, mors, est aliud, quam iustissima talio, quo in primis peccatorum omnium radix, mater et summa, luitur, nimirum philautia. Hic enim corpus, in cuius victum cultumque, pro corruptæ philautiæ ductu, omnes curæ ac labores, omniaque studia inordinate conuersa sunt, cum summa humiliatione putrescit, foetet & vermium fit esca.

Et tandem in extremo iudicio, æternoque exitio, pœnas damnatorum præcipue per rationem contrarii peccatis attemperatum iri, nemo nescit.

## APHORISMVS IX.

*Molimina quoque prava, et si in effectum nondum perducta, talionis pœnam luunt.*

## EXEMPLA.

Conamina *Saulis* funesta, quibus traicere intendebat Dauidem, tandem in ipsius caput recidisse deprehendebantur, cum suo perisset gladio *Sam. XXXI, 4.*



*Hamannus* ex eo ipso patibulo, ex quo innocentem Mordochæum suspensurus erat, urgente sic diuina vindicta, suspenditur *Esth.* IX, 14.

Omnes illi, qui funesta Hamanni consilia secuti in necem Iudæorum conspiraverant, per subitam rerum catastrophem a Iudæis occidebantur. *Esther.* VIII. coll. III, 13. IX, 1. seqq.

Quinque reges Cananæorum Gibeonitas oppressuri ipsi opprimuntur. *Ios.* X. Qualia exempla esse innumera, præcipue in subsidium vocata historia civili, nemo est, qui nesciat.

*Susanne* castissimæ calumniatores, quomodo suis met capitibus fuerint exitium, innocenti paratum, eius historia testatur. Huc pertinent speciatim exempla eorum, qui exitium aliis paratum sibi ipsis attraxerunt, speciatim potione veneni, ut Papa Alexander VI cum filio suo Cæsare Borgia. Sic Baiazeth, imperator Turcicus, quia Tamerlani inclusionem in caveam minatus fuerat, eidem non iniuste inclusus est, versa victoria. Atque ita, teste Seneca, *iuste patiendi vice quod quisque alieno excogitavit supplicio, sepe excipit suo.*

Ceterum veritas præmissi aphorismi facile diiudicari potest e natura peccati. Hoc enim non solum externo actu, sed etiam interno consensu affectuque dominante committitur. Unde mirum non est, affectum eiusmodi a Deo haberi pro effectu, præcipue ubi non voluntas, sed tantum occasio, obstitit, quo minus habitus iste internus externo actu se prodiderit.

AFHO-



## APHORISMVS X.

*Etiam in pios, quibus peccata iam remissa sunt, non nunquam cadit talio. sed non nisi nomine paternæ castigationis.*

## EXEMPLA.

Omniū primi hic nobis occurrunt protoplasti: qui etsi e proteuangelio conceperant fidem, fideque acceperant culpæ suæ veniam; tamen castigationem nequaquam effugiebant, & quidem talem, quæ ad culpam relata, non exiguam habebat analogiam. Nam qui deformitatem adfectauerant, adeo deprimuntur, ut suo tempore ipsam quoque mortem subire & post eam computrescere tenerentur. Qui animum suum, quem Deus, instar horti amœnissimi & agri bene culti ac sæcundissimi, largo virtutum omnium semine ac prouentu beauerat, diabolo per infelix peccati lolium perdendum permiserant, in culpæ suæ memoriam deprauatione omnis ægri castigati sunt. Et hinc facile liquet, quo iure ac sensu omnes iustificati adhuc talioni, latiore notione sumtæ, obnoxii sint.

Solet vero præterea usu venire, ut illorum nonnulli speciatim ob specialem culpam castigatione aliqua amœbæa corripiantur. Exemplo inter alios est *Jacobus*, qui quod in Isaacum ac Esauum commiserat, luit a Labano, respectu Leæ. Gen. XXIX.

*Israelitæ* ob male collocatam Cananæ explorationem, per dies XL factam, plectuntur totidem anno-

rum



rum oberratione, etſi illorum multos facti pœnituerat, ipliſque cœleſtis Cananzæ hæreditas obtigit. Num. XV.

*Dauidi etiam iam pœnitenti denūciat ut talio quædam in morte filii ex Bathſebah ſuſcepti. Ita enim legimus: Iehouah remiſit peccatum iuum, non morieris. Quia vero grauiſſimum d: diſſi ſcandalum inimicis Domini hac ipſo facto, etiam filius, qui natus tibi eſt, omnino morietur. Huc refer, quod eidem v. 10. ſeqqv. Non recedet gladius de domo tua &c. prædicitur, & impletum fuit in ipſius caſtigatorem.*

Nemo ex ordine Phariſæorum Chriſtianos acerbius tractauerat, quam *Saulus*; vt pote qui ipſos etiam ad carceres, immo ad imperatas blaſphemias ipſamque mortem vsque, diuexauit. Idem elupo in ouem, immo ouium paſtorem & Apoſtolum, ſeu Paulum, conuerſus eadem fata tanto expertus eſt cumulo, quanto vix alius vllus. Nec eſt dubium, quin in mediis afflictionibus identidem memori, at pœnitenti, animo priſtina ſua eiſdem generis malefacta recoluerit.

## APHORISMVS XI.

*Tandem notandum eſt, ipſum quoque Saluatorem noſtrum ſubiſſe pœnam talionis, poſtquam peccatorum omnium, & præcique protoplaſtorum, vicem & reatum in ſe ſuſceperat.*

## DECLARATIO.

*Noſtrum hic faciemus egregium locum B. DANNHAE-  
ERI*



ERI, qui habetur Hodosoph. p. 702. sequi. Expressit talionis rigorem longe luculentius is, qui e cœlo in mundum venit, ut repararet immensis laboribus, que nobis unico bolo abliguriuerat primus homo; qui ut inestimabili pretio salutem humanam redimeret, seipsum impendit, omnium virtutum & illecebra & theatrum & norma, Christus. Quem semel ille nostriviciarius stipulatus erat, eum sic exsoluit, ut talionis iustitiam ex asse omnibusque ad numeris referret ac absolueret. En enim auream iuris exactissimi, qua Deus-homo Deum & hominem mutuis nexibus religauit, catenam. Soluit enim, quod non rapuit, piavit, quod non admisit: piavit autem primi hominis obliquum suo recto, affectatam Deiformitatem Deiformitatis *νεωτέρας*; immortalitatis perfectionem morte; sapientiam ignorantia, dominationem hyperangelicam seruitute abiectione; omnipresenciam locorum circumscriptione; opulenciam egestate; omnipotentiam infirmitate; gloriam inglorio schemate. Admissa admissis piavit; scdam & scdifragam apostasiam deliquio diuini solatii, angelici gaudii, visionis beatificæ, in cruce deplorato ac Jude Petrique perfidia; societatem satanicam adinuenit & latronum sodalitio; voluntatis contumaciam voluntatis propriæ victimatione; ligni viuifici neglectum & mortiferi delectum ligni crucis baiulatione & suspendio; electionem Satanz pro Deo electione Barraba pro se; licenciam vinculis; superbiam pulueris e terra excitati blasphemii, conuictis, sarcasmis, mytherismis, admissis spineto pro diademate, arundine pro sceptro, colapbis pro osculo, consputatione pro tributo, indumento comico pro regio, sepultura in terra pulueribus; excusandi mendacium calumnia, gustum pomi & delectationem e gustu potu acetofo, & *λύπη περιλλοφῶ*; fugam a facie Dei *ἀποσπασμῶ* ad diuini iudicii tribunal; totamque adeo *κακοποιῶν κακοποιίας* titulis ut nominibus. Exhaustit & expunxit primi hominis reatum suo vicariatu. Exhaustit & expunxit iræ infinitæ abyssum exantlatione; conscientie tormenta angore sudoris suo & luctatorio; inferni cruciatus calicis belialici degustatione



*one; famem ac sitim fame ac siti; mortem morte; uniuersum debi-  
tum cibirographi aduersi transfixione.*

Bene etiam B. Lutherus Tom. I. Isleb. pag. 457. Des  
HERXXI Christi Unschuld stehet für unsere Schuld. Denn  
ob er wohl mit Unschuld zum Tode verdammet wird, ist er  
dennoch vor GOTT schuldig nach dem Gesetze, nicht für seine  
Person, sondern für unsere Personen. Er stehet vor Pilato,  
nicht als ein Sohn der Jungfrauen Mariâ, sondern als ein U-  
belthäter: Und dasselbe nicht für sich selbst, sondern für mich und  
dich, aus der Ursach, daß er hat wollen GOTTES Sohn seyn, daß  
ist, daß wir haben wollen GOTTES Sohn, das ist, GOTT gleich  
seyn. So ist nun Christus für sich selbst unschuldig; aber für  
uns ist er schuldig. Denn er hat sich unser angenommen, unsere  
Schulde zu bezahlen. So saget aber das gemeine Sprich-  
wort: Bürger soll man würgen.

## APHORISMVS XII.

*Etiam remuneratio benefactorum ad  
ius talionis pertinet & exemplorum  
copia abundat.*

### DECLARATIO.

Attigimus iam tum sub finem sectionis I. hanc talionis par-  
tem. Ad eius confirmationem & illustrationem pertinent in-  
numera fere scripturæ loca præter ea, quæ iam supra notata  
sunt. Sufficiat sequentiæ probe notasse: Lev. XXVI, 4. 12. Deut.  
XXVIII, 1. seqq. 1. Sam. II, 30. Psalm. XVIII, 26. Ezech. XVIII,  
20. Mal. III, 18. Sir. III, 6. 7. Matth. V, 12. XIII, 13. XXV, 28. 29.  
34. seqq. Luc. I, 51. 52. 53. Rom. II, 6. 7. 1. Cor. XV, 41. 42. 2. Cor.  
IX, 6. seqq. 1. Tim. IV, 8. Hebr. XI, 6. 26.

*Lothus erga angelos fuerat hospitalis, & paullo post hospita-  
litate fructus est in Zoare, ne igne consumeretur Gen. XIX.*



*Iosephus* suæ erga Deum pietatis fructus accepit non solum in bonorum spiritualium, sed ipsorum etiam corporalium, quæ Potipharis erant, incremento Gen. XXXIX.

*Iobus* post bonorum omnium iacturam pietatis suæ remunerationem vidit amplissimam in eorundem amplificatione insigni. c. XLII.

*Rahab* seruauerat exploratores, & ipsa seruatur. Ios. IV. VI.

*Achab* demissione sua a Deo malorum denuntiatorum dilationem impetrat. 1. Reg. XXI. 29.


*Maria*, mater Domini, quo de se ipsa sensit demissius, eo maiorem præ reliquis sui sexus fœminis prærogatiuam per *Deorum* accepit. Luc. I.

Ceterum conferantur de integra hac materia præ reliquis sequentes auctores: DANNHAVERVS Hodosoph. p. 702. seqq. B. PHIL. IAC. SPENERVS *Lauterkeit des Evangelischen Christenthums* Tom. I. Dom. IV. post Trin. Instar vero omnium esse potest celeberrimus Gießensium Theologus. D. IO. HENRICVS MAIVS, in egregio Volumine *de Oeconomia Iudiciorum diuinorum* qui uti exemplis abundat egregie declaratis, sic etiam passim de iure talionis dicit, quod res est. Vid. inter alia Part. II. cap. VI. p. 55. ubi: *Hæc poena talionis, inquit, est iusta. Est enim lex antiquissima, in ipsa natura fundata & perpetua; unde gentiles quoque agnoscere possunt, Deum esse vindicem in terra, adeoque Dei altissimi iustitiam implorandam, expectandam atque collaudandam esse.*

Quæstionem de iure, quod dicitur, aggratiandi homicidium dolosum, quæ alias ad hanc materiam de iure & poena talionis pertinet, & de qua in hac dissertatione breuitatis causa abstinuimus, qui ex professio excussum legere vult, adeat *Dissertationes de ea ex instituto scriptas, scilicet D. PHIL. LVD. HANNEKENII*, editam a. 1701. Cel. D. AD. RECHENBERGII, Lipsiæ 1702. Has duas deinde secutæ sunt alæ duæ sequentium auctorum: *Illustris DN. THOMASII*, Hal. 1707. denique *M. HENRICI* Ien. a.

1708. Conf. *LVTHERVS* Tom. II, Altenb.

fol. 295. b.





PRAESES  
RESPONDENTI

S. D. P.

**R**eddot tibi, carissime Boehmi, Dissertationem. Magna quidem cura eam elaborasse videris; & quod ipse vires tuas sis expertus, non possum non laudare. Sed non minus tamen ego etiam, quod aut digererem, aut limarem, deprehendi, ita ut, quod tuum est, meum quoque fecerim, & ab utroque eo maiori iure in disquisitione publica defendi possit, quod utriusque est. Tu vero per Dei gratiam eo contendes omnibus viribus, ut regulæ, quæ inter duodecim illas aphoristicas vltima est, viuum sis exemplum, h. e. ut nunquam non bene agas: quemadmodum id salutis ordo postulauerit. Sic sementis tuæ copiosam in Christo messem habebis.

Hal. Saxon. ipsis Cal. Oct.

MDCCLXV.













19

17.

DISSERTATIO THEOLOGICA;  
DE  
**POENA TALIONIS,**  
THEOLOGICE CONSIDERATA,  
ET  
**PRAECIPVE EXEMPLIS BIBLI-**  
**CIS ILLUSTRATA;**

QUAM  
IN REGIA FRIDERICIANA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. CAROLO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDEN-

BURGICO, RELIQUA,  
*Die IV. Octobris hujus M DCC XV. anni,*  
PRAESIDE,  
**IOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.  
*Placide disquisitioni submitte,*  
AUCTOR ET RESPONDENS  
**IOANNES IVSTVS Böhmel**

Kelbra-Thuring. S. Theol. Cultor.  
HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Litt. CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

